



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Widmung

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

REVERENDISSIMO ET PERIL-  
LUSTRI DOMINO,

D. JOANNI  
HENRICO  
ANETHANO,

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA  
EPISCOPO HIEROPOLITANO,

Serenissimi ac Reverendissimi Principis Electoris Coloni-  
ensis MAXIMILIANI HENRICI Bavariæ Ducis, &c. per  
civitatem & Archidiececesim Coloniensem

SUFFRAGANEO & VICARIO  
In Spiritualibus Generali, ejusdemque Consiliario  
Ecclesiastico:

Metropolitanæ Electoralis Ecclesiæ Coloniensis  
Canonico, Presbytero & Capitulari;  
Domino in Dehnsborn & Dom. &c.



Ine me, Reverendissime Præsul, Episcopalem  
hanc Praxim à Reverendissimo Thoma Zero-  
la partim Sanctissimo Clementi VIII. Papæ  
Maximo; partim Illustrissimo ejusdem Nepoti  
Cynthio Cardinali Aldobrandino olim in-  
scriptam munitamque præsidio, eandem nunc totam si-  
mul

\* \*



EPISTOLA DEDICATORIA.

mul haud parum auctam Tibi Episcopo Hieropolitano de-  
 dicare, ejusdemque dedicatione magnitudinem Tuam co-  
 lere: non ut nominis Tui *Anethani*, quod ubique fama per-  
 celebrat, limites extendam; sed ne obsequii mei & gratula-  
 tionis testimonium supprimam. Est equidem Reverendis-  
 sime Praesul, quod intimo Tibi congratuler corde, vel potius  
 toti congaudeam Archidioecesi nostrae Coloniensi, cui Te  
 nuper in Regalibus festis Serenissimus ac Reverendissimus  
 Princeps MAXIMILIANUS HENRICUS Elector, &c. regalem  
 praefecit sacerdotem, confirmavit in Pontificalibus & Spiri-  
 tualibus Vicarium Generalem, & in Metropolitana Electro-  
 rali constituit Canonicum Presbyterum; Canonicum, in-  
 quam, qui pari cum Principibus Ducibusque voto S. Ro-  
 mani Imperii unam ex octenis columnam, octovirum dico  
 Coloniensem eligit dicam an erigit: Noverat enim probe  
 dudumque perspexerat piissimus Princeps sapiens illud pe-  
 ctus Tuum, quo cumulatisimam juris qua civilis, qua cano-  
 nici scientiam, clarissimam rerum Ecclesiasticarum noti-  
 tiam, vastissimamque sacrae & profanae eruditionis sylvam  
 contines: noverat pectus Tuum prudentiae officinam, & in  
 eo singularem Tuam in componendis rebus industriam, in  
 penetrandis subtilitatem, mirificam demum in perficien-  
 dis, & ad optatum finem perducendis felicitatem: noverat,  
 inquam, intrepidum & inconcussum pectus Tuum, quo Ec-  
 clesiasticam auctoritatem semper & libertatem vindicasti,  
 haereticorum infregisti proterviam, profligasti in Ecclesia  
 errorum monstra, ab eademque noxiam valde pluribusque  
 dam-



EPISTOLA DEDICATORIA.

Damnablem propulisti ignorantiam, quam doctissimus *In oper. regal. tr. de 12. persecut. Eccles.*  
 Vivaldus in confessoribus & prædicatoribus detestans, unde-  
 cimam, eaque infeliciorem acerbiolemque nullam asserit  
 Ecclesiæ persecutionem: *Nemo quippe in Ecclesia magis nocet,*  
 ait S. Gregorius, *quàm qui per-versè agens, nomen vel ordi-* *In pasto- rali.*  
*nem sanctitatis aut sacerdotis habet: delinquentem namq; hunc*  
*redarguere nullus præsumit; & in exemplum culpa vehementer*  
*extenditur, quando pro re-verentia ordinis peccator veneratur.*  
 Sed Tu, Præsul Reverendissime, quod se claudicantibus E-  
 lias prophetis, hoc Te velut ignorantibus exhibes sacerdo- *Osce 4. 6*  
 tibus, Dei æmulatus exemplum, dicentis: *Quia tu scientiam*  
*repulisti, repellam Tene sacerdotio fungaris mihi: exhibes Te,*  
 inquam, Ægyptiis Moysen, fornicantibus Phinees, Petrum  
 mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus  
 Christum, ut sic in corrigendis vitiis piè sæviens, sanctam  
 Dei sponsam Ecclesiam intemeratâ semper fide illibatam *Aug. de verb. Do. mini. Hieron. in Epist.*  
 custodias; magnum in hoc Magni Augustini & Hieronymi  
 secutus consilium: *Foris terribilis personet increpatio, modo in-*  
*tus lenitatis teneatur dilectio: hæc enim non est crudelitas; sed*  
*pro Deo pietas.* Id quod in Te mirantur & suspiciunt universi,  
 quàm in zelo sobrius sis, in misericordia non remissus, in ju-  
 dicio rectus, in consilio providus, in jubendo discretus, in  
 disponendo industrius, in agendo strenuus; ita ut *regat disci-* *Greg. 5. moral.*  
*plinae vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, &*  
*sic alterum commendetur ex altero; ut nec vigor sit rigidus, nec*  
*mansuetudo dissoluta* Hinc jure merito Te, Præsul Reveren-  
 dissime, religionis aram, tribunal justitiæ, prudentiæ delu-  
 brum,



EPISTOLA DEDICATORIA.

1. Petr.  
5. 3.

brum, mansuetudinis sacrarium, legum præsidium profiteamur necessum est. Quid igitur mirum, imò mirari desino, quod Te tot Principes & Archi-Episcopi, Trevirensis præsertim & Coloniensis ovilis sibi crediti præsidem, & subditarum animarum Nymphagogum æmulatim desiderarint & postulaverint: quia *factus* nimirum *forma gregis ex animo*, laudabiliter hucusque & ubique per correctionem illud purgasti, illuminasti per doctrinam, per Sacramentorum administrationem perfecisti; ita ut habeant in Te uno quæ æmulentur boni, quæ timeant mali, & quæ magni admirentur: ac proinde desiderant certatim omnes, ut Te Deus Optimus Maximus Ecclesiæ Coloniensi diutissimè servet incolumem, & per Te divini nominis propagetur gloria, ac plurimarum salus animarum procuretur. Amen.

Coloniæ 30. Martii. 1680.

*Reverendissimæ & Perillustris  
Dignitatis vestræ*

Servus obsequiosissimus

PETRUS KETTELER Bibliopola,  
& Civis Coloniensis.